

toritatem habent introducendi puellas intracloasuram nisi ad effectum habitus illic suscipiendi in locis numerariis, ac directe ad locum novitiatus eundi. *Salernitana* 10. Februarii 1645. & 11. Junii 1646. Hæc habitus susceptio debet fieri immediate, vel ad summum, si adfit consuetudo, puellæ detineri possunt in habitu seculari per duos, vel tres dies. In *Brixien.* 13. Junii 1594. Alias tam ingredientiæ, quam recipientes incurrunt in censuras, & poenas Bullæ Gregorii XIII. in *Auximana.* 13. Nov. 1589. in *Asten.* 18. Decemb. ejusd. an.

S. IV.

De Bonorum renunciacione ante professionem faciendâ.

Quar. 1. Quæ forma in bonorum renunciacione sit servandâ.

Resp. Forma in bonorum renunciacione servandâ traditur a Conc. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 26.* ubi dicitur: *Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causa pia, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiam si cum hujus favoris expressâ renunciacione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.*

Quar. 2. Qui contractus comprehendantur sub nomine renunciacionis, & obligationis.

Resp. Quod, cum mens Concilii fuerit novitiorum libertati consulere, in hoc decreto comprehenduntur omnes illæ renunciaciones, & obligationes, quæ difficilem e religione egressum

sum possunt efficere. Quare sub hac prohibitione veniunt omnes contractus lucrativi, quales sunt donationes, renunciaciones, fidejussiones, liberationes a reddendis rationibus &c. & etiam illi contractus onerosi, in quibus non tantumdem recipitur, quantum datur. Non tamen comprehenduntur contractus emptionis, & venditionis, permutationis, locationis &c. nec testamentum, quia in his casibus, cum non minuat patrimonium, non læditur libertas novitiæ; ita quod difficilis reddatur egressus, ad quod respexit Concilium: cessante igitur ratione finali, cessabit quoque prohibitio. Ita *Sanch. in Decal. t. 2. lib. 7. c. 5. an. 31. usque ad 35.* alios referens. Addunt aliqui, posse novitiam de propriis bonis aliquid monasterio mutare, maxime si intercedat fidejussio, vel pignus, aut saltem scriptura publica, quia ratio Concilii cessat in mutuo; nam si discedit novitia a religione, facile recuperare poterit, quod mutuaverit monasterio. Verum in praxi sequendam oppositum tanquam conformius menti Concilii.

Quar. 3. An comprehendatur sub decreto renunciatio facta a novitia statim post susceptum habitum sub conditione, ut sit irrita, si non sequatur professio.

Resp. Comprehendit. Ita *Navarr. Rodrig. & Faust.* quos refert, & sequitur *Sanchez loc. cit. n. 17.* & ratio est, quia in renunciacione facta in tempore habili, & cum solemnitate requisita per decretum, inest tacita conditio, ut professione nondum secuta sit nullius valoris: & tamen ea solemnitas est necessaria; ergo dicendum idem est, ea conditione expressa, cum taciti & expressi idem sit judicium, *l. cum quid. ff. si cert. petit.* & frustra exprimitur, quod tacite

40 De Honorum Renunciatione.
cite subintelligitur, leg. *Cornelia*, ff. de ha-
red. instit.

Quar. 4. An renunciatio facta a puella de suis
bonis ante ingressum, intuitu tamen ingressus
religionis, sit valida.

Resp. Contra Navar. & alios, quos refert, &
reprobat Sanch. ubi supra n. 7. esse validam. Quia
puella renuncians ante habitus susceptionem est
persona mere secularis, & tractatur de bono-
rum temporalium renunciacione; ergo non cen-
setur de ea aliquid disponere voluisse Tridenti-
num, cum in d. c. non loquatur de secularibus,
sed de novitiis; unde subintrat regula, quod pro-
hibita certo tempore, censentur in reliquo per-
missa. Quare cum ista renunciatio sit prohibita
tempore novitiatus, in alio tempore, nempe
ante novitium, censetur permissa. Et ita hanc
sententiam tenent Mendos. Passarel. Gratian. Ve-
ga, & Sanch. loc. cit. n. 4. qui refert, Sac. Con-
greg. censuisse, dispositionem Concilii non ha-
bere locum in renunciacione facta ante susce-
ptionem habitus.

Quar. 5. An renunciatio facta a novitia, reli-
gionem ingressa, non servatis solemnitatibus
juris civilis, sit valida.

Resp. Quod sic. Quia attendendus est status,
in quo disponens reperitur, ad videndum, qui-
bus legibus teneatur. Novitia autem, quamvis
sit tantum in via ad religionem, reputatur tamen
pro persona Ecclesiastica, Cap. Religioso, §. 1. de
sent. excom. ubi ceteri Canonistae. Si ergo novi-
tia est in via Statum Ecclesiasticum, non tenetur
regulare suas dispositiones secundum solemnita-
tes juris civilis, & ideo iis deficientibus erit vali-
da renunciatio. De hoc fuse Sper. dec. 16. n. 17.

Quar. 6. An renunciatio facta a novitia,
juxta

juxta formam Tridentini in favorem monasterii,
vel alterius, corruat, si novitia ante professio-
nem moriatur.

Resp. Quod sic, quidquid in contrarium susti-
neat Fuscus. Ratio est, quia secuta morte non
est adimpleta Trident. conditio, quae est, ut non
alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta pro-
fessione. Et hanc opinionem tenent Navar. & Pas-
sarel. in Priv. Minor. c. 37. qui testatur, Sac. Con-
gr. sic respondisse. Idem quoque dicendum est,
si professio sit invalida, quia idem est, actum
non fieri, & esse nullum, ut late probat Sanch.
de Matr. lib. 3. disp. 3. n. 5. Quare si probata nul-
litate dimittatur ad saeculum per sententiam judi-
cis, evanescit omnino renunciatio, ac si nunquam
facta fuisset. Si vero professionem ratificet, renun-
ciatio quoque firmatur absque aliquo alio actu
de novo versante circa ipsam renunciacionem.

Quar. 7. Si renunciatio, seu donatio ex de-
fectu formae sit nulla, subssecuta postea profes-
sione vel tacita, vel expressa, quibusnam de-
beantur bona novitiae, parentibusne, si in isto-
rum favorem facta fuit renunciatio; an vero mo-
nasterio.

Resp. Videtur, deberi parentibus, quia ex
illa renunciacione, vel donatione, quantum-
vis nulla, colligitur animus profitentis, non
transferendi in monasterium, quae renuncia-
verat, vel donaverat, juxta l. legatum, §. fin.
ff. de adm. leg. Nihilominus, non obstante hac
intentione, tenendum est, deberi monaste-
rio. Nam intentio donantis non potuit for-
tiri suum effectum ob nullitatem renunciatio-
nis, & ideo bona renunciata remanent sub
dominio ipsius; unde cum in professione dedi-
cet se ipsam, & sua Deo, & religioni, ex

vi hujus efficaciae intentionis transferuntur in monasterium, non secus ac si non praecessisset donatio, vel renunciatio aliqua. Et hoc verum est, etiam si tempore professionis non haberet noritiam nullitatis, quia translatio horum bonorum in monasterium consequitur ad translationem personae, quae trahit secum omnia bona, & jura ex natura sua, & ideo non est necessaria in proficiente specialis voluntas transferendi haec bona, sed sufficit, si intendat tradere propriam personam. Ita Pasqualig. *in quaest. Moral. Jurid. quaest. 26.*

Quar. 8. An valeat renunciatio, in qua novitia nihil sibi, nec monasterio reservavit.

Resp. Valere, quia liberam habet potestatem disponendi de omnibus suis bonis volens ingredi religionem, *ex Authent. de Monac. S. illud.* Ita omnes cum Gratian. *c. 168. n. 19. & 20.* ubi de testamento novitiae, quod non rumpatur, facti intuitu ingressas, licet nihil relictum fuerit Monasterio. Sanch. *lib. 7. c. 3. n. 34.*

Quar. 9. An novitia renuncians bona monasterio possit illud obligare ad sibi solvendam certam pensionem annuam.

Resp. Possit, & quidem ita ut monasterium teneatur ex justitiae solvere dictam pensionem. Peyrin. *t. 1. c. 2. S. r.* ex Ledesma, quibus assentitur Tamburinus; quia novitia in actu renunciandi est domina suorum bonorum, atque adeo potest de iis libere disponere, cui maluerit, sive absolute, sive cum onere. Constât autem, quod haec teneatur ex justitia implere onera sibi injuncta. Verum tamen est, quod post professionem non potest uti dicta pensione sine licentia.

Quar. 10. An possit novitia facere elemosynam de suis bonis tempore novitatus absolute.

que solemnitate requisita a Trid. *dist. cap. 16.*

Resp. Possit non solum pauperi extraneo, sed etiam monasterio, dummodo tamen consideratis facultatibus ipsius novitiae sit modica; & ratio est, quia obstare non potest libertati egressus a religione. Ita Sanch. *loc. cit. n. 22.* qui existimat, dictas elemosynas non teneri monasterium restituere novitiae, si contingat discedere a religione.

Quar. 11. An parentibus novitiae interdictum sit de propriis ipsorum bonis facere monasterio elemosynas illas, & donationes, quas facere possent cuicumque extraneo.

Resp. Non esse prohibitum, quia Concilium in d. decreto solum prohibet ex bonis novitiae aliquid tribui monasterio, non autem ex bonis parentum. Sanch. *loc. cit. n. 23.*

Quar. 12. An lata sit aliqua poena in parentes, procuratores, vel propinquos novitarum, qui de earum bonis aliquid tribuunt monasterio.

Resp. Ex Emman. & Rodriq. quos refert Sanch. *loc. cit. n. 26.* esse latam a Concilio, *d. cap. 16.* excommunicationem ipso facto incurrendam. Alii tamen non latam esse sustinent, sed ferendam; quia Sancta Synodus praecipit sub anathematis poena dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, quae verba solum excommunicationem ferendam continent, ut tradunt Doctores. *in tractat. de excommunic.* Sanch. *ubi supra.*

Quar. 13. Quo tempore faciendâ sit renunciatio.

Resp. Fieri debere intra bimestre computandum a die professionis futurae. Patet ex Concilio *loc. cit.* ubi dicit, *intra duos menses proximos ante professionem.* Et hoc bimestre esse mathe-

maticè accipiendum, sustinent Sanch. & Pergr. ad *Constit. sui Ordin. p. 2. c. 1. §. 10.* & declaravit Sac. Congr. 22. Jan. 1717. apud Aldan. Ratio est, quia dum Concilium statuit bimestre, requirit tempus certum, & limitatum, quod constat ex tot diebus tanquam partibus sibi essentialibus, ita quod si de fit unus dies, non dicitur amplius illud tempus, sed al ad diversum. Igitur hoc bimestre numerandum est mathematicè, alioquin si deesset unus dies, non diceretur renunciatio facta intra bimestre, sed extra illud.

Quæ si contingat, professionem ultra novitiatus annum ex causa prorogari, non est opus, renunciationem fieri intra bimestre proximum professioni, sed est in arbitrio novitiæ renunciare intra illud bimestre, quod præcedit ultimum terminum anni formalis probationis, quia lex ea, quæ frequenter accidunt, spectat, & professio frequenter finito anno novitiatus fieri solet. Unde cum Concilium petit, fieri renunciationem bimestri ante professionem, intelligendum est bimestri proximo tempori, quo regulariter professio fieri debet. Ita Sanchez *lib. 110. cap. 5. n. 28.*

Quar. 14. Si ex dispensatione pontificia octavo mense novitiæ esset profectura, an sufficeret in hoc casu tempus bimestre ante professionem ad renunciationem faciendam.

Resp. Affirmativam sententiam tradi a Castropalao, & Diana, quia Concilium nihil aliud expostulat, nisi quod renunciatio fiat intra bimestre proximum professioni, sive professio differatur, sive acceleretur. Oppositam tamen ut securiorem in praxi sustinent Sanch. *loc. cit. num. 85.* Coton. & alii, & sic volunt, renunciationem esse faciendam, vel die professionis, vel die

die immediate antecedenti, quia dispensatio non se extendit ad accessoria separabilia, sed ad necessario inseparabiliter connexa. Non est autem inseparabiliter connexum, ut renunciatio fiat integro bimestri ante professionem, unde ea dispensatio non se extendit ad totum id tempus; quia tamen renunciatio fieri nequit tempore designato a Concilio, erit servandum in quantum fieri potest, & sic quod fiat proxime professioni.

Quar. 15. An valet renunciatio extra bimestre facta a novitiæ ex indulto Pii V. causa periculi mortis infra annum probationis proficiente.

Resp. Valet, si fiat paulo ante professionem, & mortem, juxta dicta in responsione antecedenti de proficiente infra annum probationis ex privilegio. Si autem convalescat, quia ea professio pro nulla habetur, cum non decesserit, ut ex relatis a Sperello *dec. 16. n. 24.* nullius momenti est renunciatio, cum pendeat a professione illa, quæ evanescit; consequenter ea iterum faciendâ est ad formam Tridentini intra bimestre proximum professioni, probationis anno finito. Peyrin. Bord. & alii.

Quar. 16. An puella nondum secuta professione possit renunciationem revocare.

Resp. Pasqual. in *Lauret. p. 1. num. 26.* affirmative; quia Concilium decernit, quod non intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, & proinde induit naturam testamenti quoad hanc partem, quod ideo est revocabile, quia non sortitur effectum, nisi secuta morte. Nec obstat, quod renunciatio statim valida sit, & firma, & solum suspendatur effectus; nam etiam testamentum statim

statim ac conditum est cum debitis solemnitatibus, est validum, & firmum; quia tamen non disponit de presenti, sed pro tempore mortis, remanet revocabile. Sic etiam, quia renunciatio non disponit pro tempore presenti, sed pro tempore professionis, nam solum per professionem confirmatur in ordine ad effectum, erit revocabilis. Unde non recte Sanch. lib. 7. c. 5. n. 48. asserit esse irrevocabilem, & postea n. 50. concedit posse revocari per testamentum. Nam si absolute non est revocabilis, nec etiam per testamentum revocari poterit; semper enim expectandus esset eventus conditionis, si esset conditionalis. Hucusque Pasqualig. qui pro se citat Menoch. consult. 388. n. 34. cui adde Carenam ref. 166. n. 4. & Burat. decis. 581. Verum opposita sententia est communis, quam multis probat Bordon. ref. 10. q. 10. n. 15.

Quar. 17. An sit necessaria Episcopi licentia ad valide renunciandum.

Resp. Else necessaria ex Trid. d. cap. 16. ubi habet, Nisi cum licentia Episcopi, seu ejus Vicarii, & si Episcopus nolit hanc licentiam concedere, poterit Archiepiscopus supplere, si novitia ad eum recurrat, quia est iudex appellationis in causis suffraganeorum, Diana p. 8. vrn. Haz. 4. ref. 53.

Quar. 18. Quinam veniant nomine Episcopi ad effectum hanc licentiam impertiendi.

Resp. Cum concessio hujusmodi licentiæ sit actus jurisdictionis, venire omnes illos, quibus competit jurisdictio. Cum ergo hæc competat Episcopo etiam non consecrato, Archiepiscopo non palliato, Capitulo, vel ejus Vicario, sede vacante, Abbatibus, & Prælatibus habentibus territorium, & nullo Episcopo subjectis, nec

non

non Vicariis Prælatorum jurisdictione Episcopali gaudentium, hi omnes poterunt talem licentiam impertiri. Ita Peregr. p. 2. cap. 1. §. 25. lit. G. Poterunt etiam talem facultatem delegare, quia hæc est potestas ordinaria, cum sit a lege.

Quar. 19. An nomine Episcopi veniat Vicarius Foraneus, & monialium.

Resp. Vicarium Foraneum non venire, atque adeo non posse ejusmodi licentiam concedere. Ita declaravit Sac. Congr. Conc. in una Sarzanen. die 4. Februarii 1648. Neque venire Vicarium per Episcopum ad regimen monialium deputatum, nisi fuerit eidem concessa sufficiens facultas, censuit sæpe Sacra Congreg. Concilii. Secus tamen dicendum est, si in deputatione fuerit concessa omnimoda potestas cognoscendi omnes, & quasunque causas, etiam civiles, cum omnibus annexis, connexis, emergentibus, & dependentibus, nec non faciendi omnia, quæ juxta formam Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini facienda sunt, quia, licet in dictis clausulis nulla fiat expressa mentio de facultate dandi dictam licentiam, censetur concessa per æquipollens. Ita pariter censuit Sac. Congr. Concilii in una Neapolitana 23. Aprilis 1641. Quod etiam sustinet Pasqual. loc. cit. num. 26.

Quar. 20. An licentia Episcopi pro renuntiatione requiratur in scriptis.

Resp. Non exigi in scriptis, quia Tridentinum nullam scripturæ mentionem facit, & ubi in scriptis eam obtinendam voluit, id expressit, ut fecit sess. 25. de Regula cap. 5. tractans de licentia ad ingrediendum monialium monasteria. Verum tamen est, quod licet non requiratur in scriptis ad formam actus, requiritur ad proba-

tio

tionem actus, præsertim quia ex lapsu plurium annorum non præsumitur, ut dixit Rota in Romana fideicommiss. 14. Novem. 1624. coram Remboldo. Ita omnes cum Pasqual. in Franc. p. 2. q. 42. ubi notat, licentiam non solum debere esse petitam, sed etiam obtentam, quia licentia non dicitur adesse, dum tantum est petita. Nec sufficit subsequi, sed debet præcedere renunciacionem; cum enim requiratur ad validitatem renunciacionis tanquam forma, eo quod Concilium irritat renunciacionem factam sine tali licentia, ipsa deficiente, actus redditur nullus. Ex quo fit, quod si renunciatio sit conditionalis, si nempe accesserit consensus Episcopi, tunc solum incipit valere, quando talis consensus accedit, quia tunc solum habetur forma validitatis.

Quar. 21. An decretum Concilii requirens in renunciacione prædictas conditiones intelligatur de omnibus novitiis, an de solis minoribus sexdecim annis.

Resp. Existimat Menochius de arbitr. judic. lib. 2. cens. 5. casu 43. n. 8. intelligi de solis minoribus sexdecim annis, atque adeo novitias ætatem hanc excedentes posse quandocunque libere de suis bonis disponere. Sed contrarium est verius, & servatur in praxi. Mens enim Concilii fuit consulere novitiorum libertati, ne scilicet cogantur in religione permanere, quia egrediendo nequeunt donata recuperare; quæ ratio æque militat in majoribus sexdecim annis, unde stante paritate rationis, par quoque debet esse dispositio. Ita Doctores, quos refert, & sequitur Sanch. in decal. lib. 7. cap. 5. n. 7.

S. V.

De Dote ante Monialium Professionem
Solvenda.

Quar. 1. AN, & quo titulo recipi possit dote pro admissione monialis ad professionem religiosam absque labe simoniæ.

Resp. Polle. Sicut enim in matrimonio carnali non est simoniaca receptio dotis, quia recipitur, non quatenus matrimonium fiat sub qualitate Sacramenti, sed quatenus induit rationem contractus, sub qua ratione, quia habet annexa onera, quæ non possunt sine temporalibus bonis sustentari, licitum est, ut uterque conjux aliquid ad hoc conferat; ita nec erit simoniaca receptio in matrimonio spirituali; si consideretur, non quatenus dicit quoddam genus consecrationis talis personæ ad cultum Dei, sed quatenus importat rationem contractus, ex vi cuius monasterium suscipit in se omnia onera temporalia, quæ ad sustentationem profitentis sunt necessaria. Quare, licet status religiosus, quatenus spiritualis est, vendi non possit, nec aliqua re temporali compensari; tamen quatenus est contractus, onus illud indiget subsidio temporali, ac proinde non est contrarium, neque dissonum rationi naturali, quod puella, quæ religionem ingreditur, temporale aliquod subsidium secum afferat, quo ad eam sustentandam religio juvetur; & proinde Cajetanus in 2. 2. q. 100. art. 3. ait hoc esse jus naturale.

Quar. 22. An, si monasterium sit dives, possit sine labe simoniæ dote recipere,

Confess. Monial.

C

Resp.

Resp. Sacram Congreg. super Episcop. & Regular. Summis Pontificibus approbantibus, statuisse, ut dotales eleemosynæ a monialibus numerariis persolverentur, tamen numerus esset taxatus ad mensuram reddituum monasterii. Animadvertit enim sanctimonialium monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingentes necessitates, ac casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi: ideo hujusmodi casibus occurrere volens, sancivit ut etiam opulentiores conventus possent eleemosynas dotales recipere, ut sic redantur de proventibus securiores.

Quar. 3. Ad quem spectet dotem monialium taxare.

Resp. Quod, sicut spectat ad principes temporales taxare dotem solvendam pro puellis matrimonio carnali copulandis, id exigente bono communi, sic & taxatio dotis solvendæ pro monialibus spirituale matrimonium per professionem religiosam cum Christo contrahentibus, spectare debet ad ipsarum monialium Superiores, ad Episcopum scilicet respectu subditarum, ad Sacram Congregationem vero respectu exemptarum, ut notat Cespèd. *de dub. regular. c. 23. dub. 330. n. 5.*

In hac autem dote constituenda servanda est moderata monasterii consuetudo, & in minori quantitate, quam ubi mulieres nubunt terrestri sponso, ut observant Anna *Sing. 11. Riminald. Vincentius Franc. & Rota in Romana dotis 14. Martii 1635. cor. Merlino* impressa per Tamburinum, qui tria advertit. Primo, posse Superiores monialium in aliquibus casibus taxam dotium limitare iustis concurrentibus causis, etiam insciis, & contradicentibus monialibus, dummodo

modo semper sufficiens remaneat quantitas pro sustentanda moniali. Secundo, pro supranumerariis, & pro tertia sorore duplicem eleemosynam, hoc est duplicatam summam ejus, quæ in receptione monialis intra numerum dari consuevit, solvi debere; & pro quarta sorore petente admitti in idem monasterium solvendam esse triplicatam. Tertio advertit ex Sacra Congregat. 5. *Septembris 1604. & 26. Augusti 1616.* quod tertia, & quarta sorores careant suffragio in capitulo, quousque altera ex duabus primis sororibus moriatur.

Quar. 4. An monasterium possit pacisci de majori dote, quia puella recipienda est vilis conditionis, vel advena.

Resp. Cum Rodriguez, & aliis non posse, quia juxta indulta Apostolica monialibus non permittitur quidquam recipere ultra taxam, nisi quod offertur liberaliter absque pacto expresso, aut tacito, seu præsumpto, cujusmodi utique non est id, quod in tali casu solveretur nomine dotis ultra taxam, unde talis excessus reputatur simoniacus, ut advertit idem Rodriguez, & ideo debet resisti, ut notat Diana *in opere coord. c. 5. tract. 1. res. sol. 329. §.* Quo ad advenas vero extat decretum Sac. Congreg. 30. *Septembris 1616.* statuens in dotibus recipiendis nullam differentiam admittendam esse inter puellas terrestrias, & inter advenas, ut *sub alleg. 11. §.*

Quar. 5. Quid dicendum sit in sequenti casu: Cuidam monasterio impostum fuit onus a fundatore, ut recipiatur una puella sine dote, qua defuncta, sufficiatur in ejus locum & alia, & sic deinceps, cum hac tamen conditione, quod puella eligenda sit civis. Debes

ne intelligi de civibus tantum originariis, an etiam de civibus ex privilegio.

Resp. Dispositionem censeri factam in favorem illarum, quæ sunt originariæ de loco, quia appellatione civium veniunt tantum originarii, ut norant Accus. Bald. & Bovius, & ita censuit Sac. Congr. Episcop. & Regular. in *Manuana Civit. die 29. Novemb. 1668.*

Quar. 6. An sit simoniacæ consuetudo quorundam monasteriorum recipiendi præter dotem qualdam portiones pecuniæ, quas propinas vocant, v. g. singulis monialibus dantur quatuor argentei, unum linteum &c.

Resp. Excusari, ex eo quod dos, quæ exigitur ad sustentationem monialis, non consistit in indivisibili, sed sicut taxari potest sexcentis ducatis, ita etiam taxari potest sexcentis, & quinquaginta d. subitis hoc modo, ut sexcenta applicentur communitati, & quinquaginta distribuantur inter moniales, singulis dando illos quatuor argenteos, unum linteum &c. ut suis necessitatibus libentiant. Ita Pignateli. 2. 7. *consule. 50. n. 13.* Adverit tamen Suar. 21. *de Relig. l. 4. de Simon. c. 17. n. 18.* ut in his moderatio adhibeatur, ut saltem si propter consuetudinem recipiuntur, ipsis non solutis, non negentur spiritualia, sed servetur modus petendi illa præsertim in *c. ad Apostolicam de Simonia.*

Quar. 7. An legatum dotis pro maritandis puellis possit dari virginibus ad professionem admittendis.

Resp. Possit, quia quod datur monasterio puella ingrediente, censetur datum titulo dotis, ut constat ex communi usu loquendi, qui attendi debet. Cum ergo conditio dotis, & verba testatoris versificentur in ingrediente religionem,

ha-

habebit quoque locum ipsius dispositio, præsertim quia sumus in causa magis pia, & favorabilis. Bald. Natta, Boer. alique, quos refert, & sequitur Diana in *Coord. 2. 6. strall. 8. ref. 43.* qui ex Ocagavia testator, hanc sententiam servari etiam in foris contentiosis; & ita sæpe etiam censuit Sac. Congreg. præcipue in *Pisaurico. 26. Augusti 1616. & Maceraten. 29. Junii 1649.* Est contra Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 33. n. 3. 2.* Prædictam sententiam limitat Pignateli. 2. 5. *consule. 82. n. 3.* si in legato pro maritandis puellis adsit conditio restituendi dotem, casu quo proles non existat, quia illa conditio utpote mentionem faciens de prole restringit dispositionem testatoris ad matrimonium carnale; & ita refert fuisse declaratum a Sac. Congr. in *Barenst. subssidii dotalis 15. Septemb. 1664.*

Quar. 8. An puella, cui pater relinquit centum, si fiat monialis, mille vero, si nubat, possit adhuc consequi mille, si monasterium ingrediatur.

Resp. Affirmative contra Covar. *lib. 1. var. resol. c. 19. n. 9.* quia conditio illa si nubat, censetur non scripta, & rejicitur favore religionis, prout expresse habetur, *ff. sed & hoc præsentis Autent. de sanctis. Episc.* Limitant Medina, Lopez, & alii, quando talis conditio non nubendi apposita fuisset a testatore causa conservandæ familiæ, quia clara, & expressa voluntas testatoris juris dispositioni resistit; quod tamen, aliis adductis, negat Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 33. n. 2.* qui pariter sustinet *lib. 7. disp. 91. num. 46.* viduæ ingredienti religionem deberi legatum, & alimenta relicta a marito sub conditione si vitam vidualem servaverit; quia per spirituale cum Christo

C 3

ma

matrimonium non cessat vita vidualis, Imo plenius facti sunt voluntari testatoris cupientis in uxore superstite specialem quandam pudicitiam, & honestatem.

Quar. 9. Cuiam competat dare dotem puella religionem ingredienti.

Resp. Patrem teneri, etiam si ipso invito velit ingredi religionem, quia sicuti obligatur ad dotandam filiam carnaliter ipso invito nubentem, multo magis obligabitur in matrimonio spirituali, cum hoc sit favorabilius temporali. Et hac ratione possunt bona fideicommisso subiecta distrahi pro dote descendenti a testatore volentis ingredi religionem. Sanchez, de *Matrimo. lib. 4. disp. 26 n. 7.* Quod verum est, etiam si fideicommissum institutum fuisset cum expressa alienationis prohibitione, dummodo tamen non reperiantur bona libera, pro constituenda dote sufficienti. Molin. *tract. 2. disp. 648. n. 1. u.*

Quar. 10. Cuiam teneantur constituere dotem moniali in defectum patris.

Resp. Teneri illum, qui de iure tenetur constituere illi dotem ad matrimonium carnale contrahendum. Quare tenentur mater, patruus sive paternus, sive maternus, & frater in defectum ascendentium. Sicut enim hi omnes tenentur alere, ita etiam in subsidium dotare, cum dos succedat loco alimentorum. Ita Rota in *cit. dec. Romana dotis 14. Martii. 1635.* coram Merlino.

Quar. 11. An liberum sit monialibus admittere puellam ad professionem absque solutione dotis debitæ, vel saltem cum solutione minori taxata.

Resp. Ex Tambur. *q. 7. n. 1.* Moniales velatas tam intra, quam supra numerum non debere da-

admitti absque dotali elemosyna, neque minori taxata. Pro monialibus vero conversis recipiendis non semper spectari dotem, sed aliquando monasterii necessitatem, ex declaratione Sac. Cong. *die 25 Martii 1596.*

Quar. 12. Quo tempore solvi debeat dos pro moniali ingrediente religionem.

Resp. Debere solvi in ipsa professione, non autem ante, cum id non solum prohibeatur in Concilio Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 16.* sed etiam multo expressius a Sacra Congregatione, quæ declaravit, dotem monialium penes consanguineos, vel affines relinqui non debere; sed priusquam puella induatur habitu actualiter deponendam esse apud mercatorem, vel penes aliam personam fide, & facultatibus idoneam.

Quar. 13. Cuiam competat solvere dotem, si probationis novitiæ anno durante moriatur depositarius constitutus ab Episcopo, & hereditas eius reperitur non solvendo.

Resp. Nullo modo spectare ad deponentem, quia cum tale depositum habeat vim solutionis, l. obligatione, C. de solut. & l. acceptum, C. de usur. sic deponendo consecutus est plenam liberationem, & ideo non tenetur de casu superveniente, alioquin actio semel extincta revivisceret, contra textum in l. qui res, §. Aram ff. de solut. Pignat. *l. 9. consult. 164.* Periculum ergo vel cedit in damnum monasterii, cum verissima sit juris conclusio, quod quando debitor rite, & recte deposuit, tunc periculum spectat ad creditorem, ut post alios firmant Arimin. Teapat. Medic. & Rota in *Romana consensu vitalitii 29. Januar. 1627.* cor. Merl. Vel saltem cedere debet in damnum Episcopi, quia debet Episcopus eligere depositarium idoneum etiam cum fi-

de iussoribus; officiales enim publici non solent, neque debent sine fideiussoribus admitti, a Ponte de Potes. *Prærog. vis. 3. §. 6. n. 17.* & Parisi. de Puteo.

Quar. 14. An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ex dilatione dotis provenienti possit monasterium aliquid recipere ultra dotem sibi debitam.

Resp. Possit quoad damnum emergens, si vere ex dilatione dotis ipsi proveniat. Ita Miranda, & Rodriguez, qui advertit, esse in hoc caute procedendum, ad tollendam avaritiæ suspicionem. Non item potest recipi lucrum cessans; cum enim religiosis prohibitum sit iure ecclesiastico negotiari, ipsis vere nullum lucrum licitum cessare potest.

Quar. 15. An possit alienari dos tradi solita monasterio.

Resp. Dotes monialium supra numerum proventuum non posse alienari; præcipit enim Sac. Congr. ut professione secuta in emptionem bonorum stabilium fructiferorum dotes illico implicentur, ut ex Barbosa refert. Lezan. *r. 3. nu. doz.* Dotes vero monialium intra numerum receptorum posse in usus communes, & necessarios monasterii expendi, notat Sperel. *dec. 84. n. 62.* ubi affert per extensum decretum Sacre Congregationis.

Quar. 16. An pecunia, quæ, ut supra, deberet investiri, implicari possit sine debita solemnitate in ædificando monasterio, aut ad emendam domum contiguam ipsi monasterio, ad eam inhabitandam.

Resp. Non posse, quia juxta decretum supra relatam pecunia debet investiri in bonis stabilibus fructiferis, in ordine ad sustentationem monia-

nialium supra numerum receptorum. Ad hoc autem requiritur, quod fructus successive correspondeant oneri, ut possit commode succineri, & ideo debent accrescere novi fructus, ut sicut onus est annuum, ita quoque sit annuum subsidium. Pasqual. *de sacrif. nov. leg. q. 1073. n. 2.*

Quar. 17. An si monasterium sit gravatum aliquo annuo censu super propriis bonis immobilibus, & aliunde non adsit, unde extinguatur, possit redimi cum dicta pecunia investienda, Sacra Congregatione inconsulta.

Resp. Posse. Nam dum extinguitur census, accrescunt monasterio fructus illi, quos absorbebat census. Requiritur autem, quod non adsit, unde aliunde extinguatur, quia si adesset, non fieret augmentum fructuum, nec obtineretur finis, quia etiam absque pecunia destinata pro dote adhuc extingueretur. Pasqual. *loc. cit. q. 1069. n. 4.* qui subdit, quod talis pecunia adhiberi etiam potest pro solvendo residuo pretii alicujus prædii empti a monasterio; nam salvatur, quod pecunia investiat in re immobili fructifera, quia pars prædii, quæ correspondet residuo pretii, vere est emptæ pecuniæ in debitum erogata.

Quar. 18. In quibus bonis debeat solvi dos pro moniali profesura.

Resp. Debet solvi in ære, non in bonis stabilibus, cum pecunia præfens possit commodius occurrentibus monasterii necessitatibus deservire. Ita ex declaratione Sac. Congr. Lezana. *r. 1. Sum. c. 25. n. 39.*

Quar. 19. Utrum loco dotis in pecunia effectiva, possit fieri remissio cujusdam debiti pecuniarii correspondentis quantitati dotis taxatæ, & solvendi a monasterio parentibus novitiæ admittendæ.

Resp. Non posse, si novitia professa sit supra numerum, quia ex mente Sacrae Congregationis dos debet tali pacto investiri, ut sicut accrescit monasterio novum onus, sic accrescant pariter novi fructus. In dicto autem casu nihil acquirit de novo monasterium, unde tantum aggravatur novo onere, nec sublevatur novo emolumento.

Quar. 20. An monialis transiens ad aliud monasterium deferat secum dotem?

Resp. Affirmant Socinus, Baldus, & alii, quia dos recipitur a monasterio pro alimentis tantum, & suffragio vitæ, & proinde debet sequi monialem, sicut eam sequitur exigentia alimentorum. Verum tenendum est non deferre secum dotem traditam primo monasterio, si voluntarie transeat ad aliud, sive ejusdem, sive diversi Ordinis. Ita Pasqual. *in qq. monal. juridic. q. 32* cum aliis ab ipso relatis, & ita sentit Sacra Congr. *in una Neapolitana sub die 20. Julii 1583*. Ratio est, quia monialis proficendo transfert omnia sua jura in monasterium, ut tradunt communiter Doctores; unde etiam transfert in monasterium jus proprium, quod habet ad dotem; hæc autem juris translatio operatur, quod dos incorporetur monasterio, & sit inalienabilis, sicut cætera bona ipsius. Ergo quando monialis transeat ad aliud monasterium, non est ipsi dos restituenda, non secus ac non sunt ei danda cætera bona monasterii.

Neque dici potest, monasterium acquirere dotem sub onere alendi monialem, atque adeo, hoc onere resolutio, resolvi etiam dotis acquisitionem. Hoc, inquam, dici non potest, quia tunc solum, non impleto onere, resolvitur acquisitio, quando per acquirentem stat, quod

non

non impleatur, *l. qua sub conditione. S. Quoties, ver. idem est, ff. de condit. instit.* Quando autem monialis voluntarie transeat ad aliud monasterium, non stat per primum monasterium, quod non impleatur onus alendi.

Quar. 21. An moniali, ut supra, cum ad aliud monasterium transeat, debeantur saltem ususfructus.

Resp. Non deberi Pasqual. *loc. cit. n. 8*. Cum enim dos, ut diximus, transeat in proprietatem monasterii, & monialis abdicet a se omne jus ad illam per professionem, & transferat in monasterium, ususfructus quoque incorporantur bonis monasterii, nec pertinent aliquo modo ad monialem.

Quar. 22. An si secundum monasterium cogatur recipere monialem, sit ei restituenda dos a primo.

Resp. Cum distinctione. Si prius monasterium instet pro translatione monialis, tenetur providere de dote; si posterius monasterium nolit recipere absque dote. Quia dum primum monasterium instat pro translatione, præsumitur, quod respiciat proprium commodam, quod percipit ex hujusmodi translatione. Cum ergo posterius monasterium non debeat pro commodo primi monasterii jacturam subire, neque debet subire jacturam alendi monialem. Si vero primum monasterium non instet, sed ipsa monialis, vel superiores judicent expedire, quod transferatur, quamvis posterius monasterium coacte recipiat, existimo, quod prius monasterium non teneatur restituere dotem. Quia monasterium habet tantum obligationem alendi monialem, quandiu manet sub ipsius potestate; resolvitur autem hæc obligatio, si desi-

C 6

nat

nat esse sub ipsius potestate, & fiat sub potestate alterius monasterii. Neque ex eo, quod moniales coacte recipiunt, valet arguere, quod moniales coacte recipiunt, valet arguere, quod monasterium coacte recipiat; quia monasterium non representatur in monialibus tantum, sed etiam in Prælati: immo in illis tantum œconomice, in his vero jurisdictionaliter; & ideo horum consensus sufficit, ut voluntarie dicatur accipi monialis.

Quar. 23. An quando monialis transfertur ad aliud monasterium ad agendam poenitentiam, sive secundum monasterium coacte recipiat, sive libenter, teneatur illi primum monasterium subministrare alimenta.

Resp. Teneri, & defumitur ex *c. de lapsis 16. q. 6. & c. 11. quis acquirat 27. q. 3.* Nam per hanc translationem non fit membrum posterioris monasterii, neque solvitur vinculum respectu prioris, quare neque salvatur obligatio ipsam alendi.

Quar. 24. An monasterium acquirat dotem novitiæ morientis infra annum probationis, emissâ tamen professione ex indulto S. Pii V.

Resp. Non acquirere, quia illa professio valet tantum ad finem consequendi indulgentias, non ad finem succedendi in dote, & in bonis per monasterium, ut patet ex declaratione Congregat. Concil. sub die 13. Novembris 1627. in una *Monialis regalis*. Quare Summus Pontifex illo privilegio intendit quidem bono spirituali novitiæ consulere, nunquam tamen quæsito alterius juri derogare, neque præjudicium succedentibus ab intestato inferre. Ita Tambur. *cir. disp. 4. q. 6.* ubi alios refert, quibus adde Novarium *summ. Bullar. commen. 119. num. 5.* qui limitat hanc do-

doctrinam, quando professio facta esset in articulo mortis anno probationis completo, in tali enim casu deberetur dos monasterio, & excluderentur venientes ab intestato, juxta *dec. Rovis. 4.*

S. VI.

De Monialium Professione.

Quar. 1. **Q**uamnam requirantur, ut professio in religione sit valida.

Resp. Præter liberum cujusque consensum requiri ex Trid. *sess. 25. de reg. c. 15.* ut fiat post quintumdecimum, & unum probationis annum integrum, & continuum; adeo ut professio aliter facta nulla sit, nullamque pariat obligationem, aut alios quoscunque effectus tantum in foro externo, quam interno, ita ut non obliget ad religionem aliquam in genere, nec in specie; & in hoc correctæ sunt jurantiquæ *c. Non solum de Regul. in 6.* Neque censetur valida professio facta ante tempus præfixitum a Concilio, etiam si monialis vovisset religionem ingredi, & in ea permanere; & ita declaravit S. Congr. ut refert Pignateli. *2. 8. consult. 55. n. 16.* An autem si revertatur ad sæculum, ex mente hujus decreti a voto libera dicenda sit. Pignateli. *ibid. n. 16.* dicit, fuisse responsum, hoc decretum nihil de voto disposuisse.

Quar. 2. An aliquando valida sit professio intra probationis annum emissâ.

Resp. Quod sic, scilicet quotiescunque accedit indultum Summi Pontificis: unde ex speciali privilegio a S. Pio V. monialibus S. Domini concessio, da quo participant omnes, cum cedent.

eodem Ordine communicationem privilegiorum habentes, possunt novitiæ in mortis periculo constitutæ intra probationis annum profiteri, ad lucrandas indulgentias, & alias gratias professarum, non tamen in præjudicium venientium ab intestato, ut diximus §. *antecedenti*, q. 23. Neque in tali casu requiritur consensus monasterii. Tum quia is non exprimitur in Bulla cum aliis requisitis, tum quia illa non est simpliciter professio, quæ habeat incorporare religioni, sed ad effectum tantum, ut diximus, indulgentias consequendi, unde si novitiæ postea convalescit debet denuo profiteri, Boid. in *Miscell. dec.* 130.

Quar. 30. Quibus ex causis resulet nullitas professionis.

Resp. Induci professionis nullitatem non solum ob defectum qualitatum in primo quaesito recensitarum, sed etiam ex metu cadente in constantem virum, qui respectu foeminae sit rationalis, ac fundatus in vero, & probabili periculo, colligitur ex *Trid. sess.* 25. c. 19. Et in iudicando metu consideranda est qualitas personæ patientis metum, animi nempe vel imbecilitas, vel fortitudo, ut per Fagn. in *exconsultationi* n. 14. de *Spusal.* Quod verum est, etiam si metus sit reverentialis, solum concurrentibus adminiculis, crebris persuasionibus, minis, odio, & imperii sapius repetiti importunitate, ob quæ puella non audet patri, vel consanguineis contradicere. Laym. in *Theol. mor. lib.* 4. c. 5. n. 6. An autem sit nulla professio, si per metum cadentem in constantem virum moniales aliquam recipiant, negant Suar. & Vecchius relati a Peyrino tom. 2. de *Præl.* q. 3. §. 2. n. 81. ubi oppositum sustinet, quia de ratione contractus ultro, ci-

troque obligatorii; cuiusmodi est professio; est, ut par omnimoda sit utrinque libertas, unde eo ipso quod Canones irritant professionem factam metu profitentis, irritant etiam professionem factam metu recipientis.

Nulla quoque est professio, si interveniat error, dolus, & ignorantia circa substantialia religionis, ut si novitiæ profiteatur, putans se non obligari in perpetuum, vel regulam sui Ordinis non esse adeo asperam, & quidem asperitate vires ejus notabiliter excedente. Quia ignorantia excludit voluntatem profitendi, nihil enim volitum, quin præcognitum. Suar. de *Relig.* 3. lib. 6. c. 4. n. 3. §. 6.

Vitiatur pariter valor professionis periram, aut aliam animi perturbationem, si tales sint, ut rationis iudicium obtenebrent ac impediant deliberationem requisitam ad peccandum, quia deficit libertas, quæ est forma contractus. Sanch. lib. 4. c. 1. n. 2. Multoque magis est invalida, si monialis nullam habeat intentionem se obligandi, quia actus non obligant ultra intentionem agentis. In foro tamen externo poterit cogi ad secundam professionem, ut recte advertit Castropi *crab.* 17. disp. 2. p. 41. n. 3.

Nulla item redditur professio, si non serventur ea, quæ in particularibus Constitutionibus religionum cum clausula irritante præscribuntur, maxime si Constitutiones a Papa sint confirmatæ, ut notant Sanch. Tambur. Rodriq. & Bordon. de *profess.* c. 2. q. 16. Cum enim per illas tollatur potestas aliter recipiendi ad professionem, inducitur nullitas professionis aliter factæ. Rota in terminis statuti prohibentis per verba *Nullus recipiatur*, dec. 167. n. 5. p. 2. recens. Bordon. Castrop. & alii.

Quar. 4. An professio simoniaca, vel ob malum finem emissa, ut valida.

Resp. ad utrunque affirmative; primum defumitur ex c. de Regul. §. c. quoniam de Simon. ubi dicitur, simoniace professum debere detruhi in aliud monasterium ad agendam poenitentiam, & si aliud non reperitur, debere manere, ubi emisit professionem; supponitur ergo professio valida, dum decernitur permanentia in monasterio; & ita sentiunt Navar. & Rodriq., quos refert, & sequitur Barthol. a S. Fausto, qui cum Azorio, & Silvestro idem asserit de professione ob malum finem emissa.

Quar. 5. An professio viri in monialium monasterio sit valida.

Resp. Cum communis Doctorum negative, quia ad validitatem professionis requiritur consensus profitentis, & admittentis, sed in hoc casu saltem deficit admittentis. Quare invalida quoque erit professio, si mulier erumpat in masculum, quod utique posse contingere, docent magni nominis Auctores, præcipue August. lib. 3. de Civ. Dei. c. 31. Sicut enim matrimonium carnale, etiam consummatum dirimitur; si mulier fiat vir; ita etiam dirimitur matrimonium spirituale; ut docent Navar. Sà, Enriq. quos adducit; & sequitur Sanch.

Quar. 6. An in dubio de valore professionis sit valida censenda.

Resp. Quod sic, quia possessio stat pro Religione, & pro certitudine professionis; in dubio autem favendum est Religioni, & possessori. Quare ex Suarez, & Peyrino monialis dubia de suæ professionis valore tenetur eam ratificare.

Quar. 7. An monialis certa de nullitate

pro-

professionis, & omni probatione destituta tenetur illam ratificare.

Resp. Cum Sanch. lib. 7. de Matr. disp. 37. m. 2. non teneri, maxime si ex culpa sua non dedit causam nullitati. Poterit ergo manere in religione expectando commodam fugiendi occasionem, si hoc sine scandalo potest contingere. Ratio hujus conclusionis est, quia, cum in culpa non fuerit, ut professio sit nulla, & re vera libera sit, non est compellenda ad coactum tantum onus subeundum, quod spontaneum consensum propter magnam perfectionem maxime desiderat. Neque ad id debet cogi, quia sine titulo suffragia præstaret, & a monasterio alimenta reciperet; nam hoc facile evitari potest. A suffragiis enim ferendis absteineat, in quantum sine scandalo & sua gravi nota poterit; & quando commode abstinere non possit, ne notetur, aut scandalo sit, ferat suffragia, & etiam prælaturas admittat, quia omnia hæc ratione publicæ professionis, aut publici officii valida erunt; adeo enim titulus præsumptus, error communis, & virium est occultum. Quod alimenta vero, quæ recipit, parum damni infert monasterio, si computentur servitiis, quæ præstat, & fructus ex fundo dotali percepti, qui fructus debent computari ad rationem census vitalitii, cum capitale post mortem remaneat monasterio. At dato etiam quod aliquod damnum monasterio resultaret, non est tanti faciendum, ut debeat compensari cum assumptione oneris tam ardui, qualis est obligatio professionis; & ad summum sufficiet, si habeat animum refarciendi, cum fuerit solvendo.

Quar. 8. An idem dicendum sit, etiam quando monialis dedit causam nullitati.

Resp.

Resp. Affirmativam sententiam Sanch. *loc. cit.* existimat probabiliorem: Quia licet peccaverit, cum tamen religiosus status sit tanti momenti, & tam arduus, nulla ratione, & ob nullam culpam quis ad illum est compellendus injurius. Sicut enim debitor ex delicto non tenetur in conscientia ob debiti compensationem perpetuo subire carcerem, sic neque monialis ex sua culpa nulliter professam tenebitur ob damnum, quod resultat monasterio, perpetuo religioni se mancipare; libertas enim est superioris ordinis, & pretiosior quocunque emolumento temporali.

Neque tenetur ratificare professionem, quamvis non possit propter scandalum fugere, aut alio modo a religionis jugo se subtrahere, ut asserunt Castropal. & Moronus cum aliis ab ipso relatis *resp. 82. n. 150.* contra Lezanam, qui licet concedat non teneri ratificare professionem, quod usque remanet spes fugiendi, vel aliud remedium; vult tamen teneri cessante tali spe, & sublato quocunque remedio, *2. 3. v. Professio n. 24.*

Quar. 9. An monialis sic nulliter professam teneatur servare regulam, si permaneat in monasterio.

Resp. Ex vi professionis non teneri, quia nullo vinculo adstringitur religioni. Solum tenebitur ratione scandalii vitandi. Quia cum reputetur vera religiosa, & pro hac parte sit legitima presumpcio, scandalii ansam merito praberet regulares observantias transgrediendo. Ex quo fit, quod in rebus occultis, in quibus scandalum omnino cessat, nec ad regulam, nec ad vororum observantiam adstringatur. *Cajet. 2. 2. q. 88. a. 1.*

Quar. 10. An percussus monialem nulliter pro-

professam, sed ut professam reputatam, incidat in excommunicationem.

Resp. Quod non: quia vere non percussus monialem, sed laicam; unde sicut non incidit in excommunicationem quis occidens Cajum, putans esse Titium clericum, quia non punitur affectus, sed opus externum; ita in casu nostro philosophandum. *Moronus resp. 80.*

Quar. 11. Quid requiratur ad ratificandam professionem.

Resp. Requiritur, quod accedat liber consensus monialis, quæ sciens professionem suam fuisse, & esse irritam, velit eam ratam haberi. Neque indiget alio consensu monasterii, etiam si acceptatio illius fuisset irrita; tum quia prior consensus presumitur permanere; tum quia Pontifex in hoc casu pro bono pacis, & religiosorum consolatione dictam professionem tanquam caput nomine religionis acceptat. Neque insuper opus est novitiatum iterare, cum post susceptum habitum plene monialis experta sit religionem, & religio ejus mores, qui est novitiatum finis. *P. yr. tom 2. de Pral. q. 3. c. 1. S. 5. n. 145. & 146. & alii.*

Quar. 12. An monialis sic professam possit tuta conscientia retinere locum, & cetera privilegia sibi debita ex priori professione irrita.

Resp. Sive prior professio fuerit irrita bona fide, sive mala, si casus est occultus, non tenetur locum sibi debitum ex priori professione dimittere. Si vero ratione antiquitatis professionis existimata aliquod privilegium sibi competat, quod in grave præjudicium religionis, aut aliarum monialium cedat, tunc debet secreto pro foro conscientie impetrare dispensationem; interim vero dum procurat, vel si commode procurare nequeat, non tenetur cu n

cum nota relaxare, nec ab actibus convenientibus se abstinere. Quod si ea, quæ competunt ratione antianitatis, sint modici momenti, ut prius ferre suffragium, & alia hujusmodi, non est ad petendam dispensationem obliganda. *Peregr. ad Const. sui ord. p. 2. c. 1. §. 5. & Sanch. de Maurim. lib. 7. disp. 37. n. 68.*

Quar. 13. Ad quem spectet admittere novitiam ad professionem.

Resp. Ad monasterium spectare quod in monialibus repræsentatur, ut diximus de puellarum receptione. Est enim professio contractus ultro citroque obligatorius, atque adeo requiritur non tantum consensus novitiæ, sed etiam monialium, cum de jure communi ad illas pertineat, nedum quando recipitur ad habitum, sed etiam quando admittitur ad professionem. *Abb. in c. Ad Apostolicam, ibique Gl. in fin. de Reg. & in specie probat Sanch. in decal. lib. 5. c. 4. n. 65. cum ibi relatis, Quod adeo verum est, ut si Episcopus vel alius Prælatus compelleret moniales ad recipiendam novitiam ut professam potuerunt ad superiores appellare, sicut declaravit S. Congr. super Episc. & Regul. in Colon. 12. Maii 1652.*

Quar. 14. An novitiæ absque causa capitulariter exclusæ licita sit reclamatio ad superiorem, quod moniales illam non admisissent ad professionem.

Resp. Licere. Ita Doctores, quos refert, & sequitur Pasqual. in *Laureis* p. 2. d. 49. n. 2. Evidens enim est, quod novitia habet notabile interesse in causa, & ejus non admissio sine causa affert ipsi notabile gravamen, atque injuriam; unde non potest rejici ejus reclamatio in causa præsertim canonica, in qua secundum jus canonicum licet a quocunque gravamine

mine appellare. Ideoque S. Congr. Episc. & Regular. sub die 2. Octobr. 1648. ac alibi sæpius declaravit, moniales non posse rejicere a professione novitiam sine causa.

Quar. 25. An constituto de gravamine, possit Episcopus admittere ad professionem novitiam indebite exclusam.

Resp. Affirmat Bord. in *Conf. Regul. resol. 57. num. 107.* Quia ad Prælatos majores spectat corrigere ea, in quibus subditi peccant, e. ut fama de sent. excom. & notat Gl. in *C. en qua v. rentu de off. Archid.* & ideo corrigere debent determinationes capitulares injustas. Consultius tamen existimo, præcipere Capitulo monialium, quod indebite gravatam recipiat. Quod si pertinaciter recusaverint moniales, de earum contumacia Sacram Congregationem faciat certiore, ut de opportuno remedio contestim provideri possit; ut resoluit sub die 5. Novembr. 1605.

Quar. 16. An novitia, quæ toto novitiatus anno fuit infirma, possit admitti ad professionem.

Resp. Ex Peyrino, & aliis affirmative. Quia non tenetur novitia omnes austeritates religionis experiri in specie, sed satis est, quod probet in genere, perseverando per annum sub obedientia magistræ, & Abbatissæ. Quod si novitia detegatur infirma morbo contumaci, remittenda est ad curandum in domum suam. S. Congr. 10. Febr. 1649. in *Salernitana*; ex quacunque tamen causa exivit, non potest postea recipi sine licentia S. Cong. 25. Jan. 1601. & 15. April. 1607. Possit item valide, & licite admitti ad professionem novitiam, quæ morbo, vel senectute est impotens ad regulæ statuta servanda, sustinent Sanch. Faust. Nav. & Pe-

& Peregrin, in comment. ad const. sui ordin. p. 2. c. 1. §. 18. Quia obligatio ad religionis essentialia, nimirum castitatem, paupertatem, & obedientiam, nullas corporales vires exposcit, sed solum voluntatis affectum. Cetera vero religionis statuta non sunt religiosi status essentialia, sed obligant dum iusta causa non excusat.

Quar. 17. Qualis literatura requiratur in novitia admittenda ad professionem tanquam chorista.

Resp. Requiritur, ut saltem sciat legere; cum enim contrahat obligationem persolvendi horas canonicas, non debet esse impotens ad satisfaciendum suae obligationi. Ita fuisse decretum a S. Congr. in una Gregor. 12. Januarii 1604. refert ex Barb. Tamb. disp. 6 q. 6. n. 3.

Quar. 18. An, & ubi fieri debeat exploratio voluntatis novitiae, antequam profiteatur.

Resp. Ante professionem quoque, ut supra diximus de puellam receptione, voluntatem novitiae esse explorandam ab Episc. vel ejus Vicario etiam in monasteriis exemptis, ut ex declaratione S. Congr. testatur Pasqualig. loc. cit. n. 44. Pro exploranda tamen voluntate non licet ingredi claustra monasterii, & proinde ingrediens in excommunicationem incurreret; cum id expresse prohibeat in Const. S. Pii V. 1. in Bullar. Ex iusta nihilominus causa, ut si esset suspicio subornationis, potest professura educi e claustris monasterii ad Ecclesiam exteriorem; ut notat Tamburinus; quem refert Pasqual. loc. cit.

Quar. 19. An, & quo tempore debeat Praefecta monialium notificare Episcopo tempus professionis emittendae.

Resp.

Resp. Ex Conc. Trid. sess. 27. de Regul. c. 17. quod, ne professionis tempus Episcopus ignoret, tenetur Praefecta monasterii eum ante mensem certiozem facere; alias, quandiu Episcopo videatur, ea ab officio suspensa sit. Quoad monasteria vero exempta praefigitur spatium quindecim dierum a S. Pio V. in cit. Const. quibus elapsis in hoc se intromittere Episcopo non liceat.

Quar. 20. An si Episcopus negligeret explorare voluntatem, postquam certior factus est a Praefecta, possit punire Abbatissam, quae elapso termino admitteret novitiam ad habitum, vel professionem.

Resp. Si monasterium sit exemptum, nequaquam punire potest, quia si, juxta Const. cit. S. Pii V. super quindecim dies negligat explorare, non potest amplius se ingerere. At si monasterium non sit exemptum, neque videtur posse punire, quia ex decreto Concilii non tenetur Praefecta nisi ante mensem certiozem facere Episcopum, non autem tenetur ultra debitum tempus expectare. Delinquit ergo Episcopus, si intra tempus assignatum non exploret; quare si Praefectam puniret, negligentiam suam in alio puniret. Pasqual. in Lauret. n. 46.

Quar. 21. Ad quem spectet acceptare professionem novitiae profitentis.

Resp. Spectare ad Episcopum, vel ejus deputatum privative quoad Abbatissam, tenet Suar. t. 4 de Relig. tr. 9. lib. 10. cap. 11. n. 1. & colligit ex e. statimys 20. q. 2. Quia apud Episcopum tantum est proprie jurisdictionio. Oppositum sustinet Sanchez, & colligitur ex declaratione S. Congr. 22. Februar. 1625. quae sic habet: Professio monialium fieri debet in manibus Ordinarii principaliter, non Abbatissae, ex quo

quo deducitur, quod in manibus Abbatibus possit fieri de secundario. Quare servandam esse consuetudinem cuiuscunque Ordinis, & provincie, aut loci, existimant alii.

Quar. 22. An Abbatissa cum consensu monialium valide admittat ad professionem, contra prohibitionem Prælati.

Resp. Si Prælati simpliciter prohibeat, professio per hoc præcisè non est nulla, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur; si vero prohibeat suspendendo Abbatissæ facultatem, & protestando, se in talem admissionem non consentire, ex rationabili causa, tunc professio est nulla ex defectu potestatis in admittente.

Ita quod neque per Vicarium potest admitti; quia, quod una via est prohibitum, non censetur alia permissum, *e. quod una de reg. jur. in 6.* unde cum sit prohibita admissio dictæ puellæ per Abbatissam, non est censenda permissa per Vicarium, alias frustratoria esset prohibitio Pasq. *in 99. mor. cœd. cent. 4. q. 307.*

Quar. 23. Quænam privilegia consequatur monialis ex emissionem professionis.

Resp. In primis consequi plenariam omnium suorum peccatorum remissionem quoad poenam; ita quod, si emissæ professione statim decederet, directæ in cœlum conscenderet. Ita D. Th. 2. 1. 9. ult. a. 3. ad 3. & communiter Doctores, quorum aliqui etiam addunt, consequi huiusmodi remissionem etiam quando jam professæ de professione gaudet, eamque innovat, parata facere, si non fecisset. Dionysius Carth. & Vecch. *de Novit. disp. 13. dub. 5. n. 7.* alios citans.

Relaxantur insuper omnia vota simplicia,

ita-

realia, & personalia, atque mixta, & in solemnem religionis votum commutantur. Ita D. Th. 1. c. & ibi Cajetanus, qui *q. ult. a. 3. ad 3.* ait, ad hanc commutationem nullam venientis intentionem exigi. Hoc tamen locum non habet in votis realibus de re, quæ cadit in utilitatem tertii, & ab alio tertio sit acceptata, quia per acceptationem acquisitum est jus illi tertie personæ, atque adeo in damnum tertii commutari non potest; secus vero quando non esset acceptata promissio, quia tunc jus non est illi questum. Ita Doctores relati a Peregrino *loc. c.* Sunt & alia privilegia, quæ videri possunt, Sanch. *rom. 2. lib. 5. c. 5.*

Quar. 24. Quale peccatum sit, de emissæ professione poenitere.

Resp. Per se mortale non est, dummodo monialis retineat animum adimplendi promissa. A veniali tamen non excuso, quia illa poenitentia actus boni, licet voluntarii, adversatur directioni rationis, & summa ingratitude est, nolle recepisse a Deo tale, ac tantum beneficium, qualis est religiosa professio. Ita Azor. Gajet. Valquez, & alii relati, & approbati a Peyrin. *t. 2. de Prælat. q. 3. c. 1. S. 5. n. 155.*

CAPUT III.

De Monialium Consecratione.

Quar. 1. Quidnam voto virginitalis, aut coelibatus publico, & solemnem cum Episcopi consecratione moniales cœperint obligari.

Resp. Sunt, qui Divum Basilium Magnum huius instituti, sive consuetudinis auctorem faciant. Alii ad sub Constantino Magno, & alii Ambrosii. Sed Ambrosius ætate factum arbi-

Confess. Monial,

D

tran-